

hinc est, quod *in novum ordinem*<sup>1</sup> *Predicotorum* amore divinorum eloquiorum discendorum atque predicandorum cotidie plurimi convertuntur, in tantum illorum dulcedine illecti et attracti, ut omnibus, que mundi hujus sunt, relictis atque postpositis soli doctrine vacent. mendicando vivunt, ut alios cibo spirituali reficere valeant. simile dicimus de *Fratribus Minoribus*, qui et ipsi doctrine inserviunt eloquia divina predicando. — ut enim taceam de predicatoribus, qui ex officio tenentur di (46<sup>a</sup>) vina eloquia populis nuntiare, quidam monachorum, quibus predicare non licet, sic avidi sunt in lectione Sanctarum scripturarum, ut volumen totius biblie devorare videantur. — nobis claustralibus, quibus predicare non licet, non est opus, ut de melle Sacre Scripture usque ad satietatem comedamus, eo quod ad salutem nobis sufficiat, si cantare et legere et de lectis aliquid intelligere noverimus. predicatoribus vero expedit de melle divinorum eloquiorum multum sumere, ut per intellectum Scripturarum satiati predicando evomant illa. — 48<sup>a</sup> ff. Überall rät Caesarius den Prälaten zur Milde. — (50<sup>a</sup>) qui in judicio seculari, etiam si innocens sit, causam suam insipienter defendit, si districte cum eo judecere agere voluerit, non solum ab ipsa causa cadit, sed etiam nonnunquam sententiam mortis incurrit. unum accusatus opus habet, ut ad judicium bene instructus accedat. — (50<sup>c</sup>) menimi me superius dixisse animas non posse occidi sine peccato, nisi forte aliquid sit in causa, per quod occidens possit excusari. scandala, sicut nostis, multorum animas occidunt. si scandalizatus fuero in bona vita fratris mei sive in recta doctrina et justo judicio prelati mei ipsisque ob hoc detraxero et persecutus fuero, ipsi quidem mihi occasio sunt mortis, sed non peccant, eo quod in bona vita, sana doctrina et justitia facienda scandala non sint curanda. et ut verius dicam, non bonorum virtutes (50<sup>d</sup>), sed mea vitia me occidunt. — (51<sup>d</sup>) cythara sive psalterium corpus congregacionis significat. chorde cythare fratres sunt in congregacione. chorde, sicut scitis, inter duo ligna tenduntur: lignum inferius, quod cavum est, et superius, quod solidum est, clavis quibusdam chordas deorsum tenentibus, aliis sursum eas trahentibus. duo ista ligna significant duas cruces, carnis videlicet et mentis,

---

<sup>1</sup> novo ordine *Hs.*